R. A. 27. Augusti 1666.

44

IN DEI NOMINE, AMEN: NOVErint vniversi, quod anno computato â Nativitate Domini nostri Iesū Christi, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, die vero, quo numerata vigesima septima, mensis Augusti, apud Civitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij causarum Civilium intervenerunt Magnifici Domini Doctores, Don Gregorius Xulve, Regens Regiam Cancelleriam, Don Petrus Cavero, Don Clemens Soriano, Don Petrus Alegre, & Dō Carolus Bueno, Regij Consiliarij: Coram quibus fuit posfitus processus, intitulatus: Processus Illustris Domnæ Theresiæ Sarmiento, Fernandez de Yxar, Ducissæ de Bexar, & de Mandas, super civili; In quo prævia relatione facta per dictum Dominum Don Clementem Soriano, causæ Relatorem dictus Dominus Relator, & cæteri Domini Regij Consiliarij, & dictus Dominus Regens CONCORDES fuerunt voti, & opinionis, quod atten. conteñ. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & absolvere Egregiam Domnam Annam de Pinôs, & Fenollet, Commitissam de Valfagona, & Illustrem Don Iacobum Fernandez de Yxar, Ducem de Yxar, & Comitem de Belchite conventos, princ. Ios. Navarro, & Vela Proc. â contentis in petitione contra eos respectivê oblata, neutram in expensis condemnando, cętera suplicata, locū nō habere. EXEO, & aliâs prout in sententia pronuntiatur, nam quamvis constiterit Illustrem Domnā Franciscam de Pinôs, & Fenollet, Ducissam de Yxar, & Commitissam de Belchite, in suo Testa-

men-

mento hæredem vniversalem instituisse Illustrem Ducem Yxarensem nepotem, vsufructu omnium bonorum relicto Egregiæ Commitissæ de Valfagona sorori, & in Codicillo iam in extremis existentem, exharato, legasse Illustri nepti Domnæ Theresiæ Sarmiento Fernandez de Yxar, Ducissæ de Bexar, & de Mandas, omnes quantitates in pactis nuptialibus contractis cum Ducæ Yxarensi eius viro, adductas, quas haberi voluit pro expressis, & illarum recuperationem ad ipsam spectare ex Domo, & Statibus de Yxar, & Belchite, & omnibus alijs bonis in pactis obligatis, vt eius legataria posset vti privilegio, & clausula de fructibus in sortem principalem non computatis, cum omnibus iuribus, processibus instantijs, & actionibus ad testatricem pertinentibus, & supradicta clausula de fructibus, &c. quæ quidem quantitates, vt pro parte actricis contenditur, ad sumam triginta, & sex mille, & tercentarum librarum Iaccensi. ascendunt; sed cum post mortem Ducissæ fuisset repertum in quodam processu partitionis sub anno 1614. confecto, per obitum Ducis Yxarensis omnia eius bona mobilia in solutum fuisse Ducissæ data, & cum illis se satisfactam de dote, & alijs lucris nuptialibus agnovisse, & prætextu præfatæ solutionis, inhibitionem â Curia Magnifici Aragonum Iustitiæ per successorem Status, fuisse obtentam, ne bona Ducatus, & Commitatus de Belchite apprehenderentur, sicque impedita legataria huius decreti provisione, convenerit in hac Regia Audientia fructuariam, & hæredem, vt ex

bo-

bonis hæreditarijs,quantitatem in legatō contentam,persolvant,vt exitum voluntas testatricis sortiretur; verum illius prætensum legatum invalidum consideramus ; nam cum Ducissa legaverit nepti quantitates dotales â Domo ; & Statu Yxarensi debitas, perinde est,ac si legasset nomen debitoris,& sic actionem contra illum ; quæ si non sit,quia nihil debeatur , defficit substantia rei legatæ,& sic legatum est nullum,quia legata est rei actio, quæ non est in rerum natura,& sic cedi, vel legari nequit,nec tenetur hæres tantundem persolvere,cum id non fuerit legatum,sed nomen debitoris,vt contextus legati suadet,cum velit vt legataria fruatur bonis obligatis , & hipotecatis solutioni,cū omnibus procesibus instantijs,& actionibus ad testatricem pertinentibus, & clausula de fructibus non computatis in sortem principalem, quæ in bonis hæreditatis locum non haberet ; nec similitudo legati rei alienæ , potest huic hipotesi accomodari, nam tunc ideo legatum â sciente relictum subsistit , quia extat substantia rei legatæ, quæ potest ab hærede redimi,& dari legatario,hic autem defficit omnino res legata ; nec scientia testatricis de satisfacta dote tempore Codicilli probatur,nec præsumitur,cum circiter quinquaginta anni fuerint elapsi â tempore traditionis bonorum mobilium,& oblivioni tribui debet , maxime in ætate nonagenaria,& quia iam in extremis Codicillum condidit,nec credendum sit,quod persona adeo timorata,& integræ fidei,vellet, vt solutū iam debitum â possessore Status exigeretur ; & vlte-

terius, nec etiam tantumdem ab hærede, nam cum huiusmodi legatum, sub nomine Ducissæ, Legatariæ, ad comodum tamen, & vtilitatem hæredis, fuisset â testatrice relictum, vt asserunt Notarius, & testes instrumenti (quibus in Aragonia, tanquã instrumento in dubia fides tribuitur) & plures alij qui ibidem interfuerunt, ad impediendam nimirum confussionem actionum, cum hæres in Ducatu, & Commitatu succederet (quamvis prolixo litium an fractu involuto) non debet in eius incommodum, & præiudicium retorqueri; & quamvis confidentiæ particeps non fuerit legataria, nõ ideo minus adimplendã deffunctæ voluntatem fuit adstricta, quando de illa legitimê constiterit, prout in præsenti accidit, ne ad vnum finem inducta videantur contrarium operari ex prædictis, & aliâs att. contr.

Sig✠num mei Ioannis Ledos de Valdellou; Scribæ Mandati suæ Maiestatis, Civis Civitatis Cæsaraugustæ, & in ea domiciliati; qui præinserta votta, & motiva à libro Regij Consilij causarum Civilium huius Regni vbi existunt continuata extraxi, comprobavi, & signavi.